ecclesia sancti Silvestri supra versus ecclesiam sancti Iusti, sub pena centum sold. pro qualibet contrafatiente et vice qualibet contrafacta, et si aliqua persona eidem persone sic tenenti acciperet [1]), nulla contra fatientem per dominium fiat ratio. ℭ Et nulla mulier sit ausa intrare staraticum comunis vel stare ante, causa emendi farinam vel bladum, sub pena sexdecim par. sine proclamatione excusarum, solvenda omni vice contrafacta, que deveniat preconibus comunis accusantibus.

Cap. LXVIII. Rubrica de custodibus nocturnis.

Ordinamus quod iudices sive rectores comunis Tergesti in principio sive introitu sui regiminis facere et eligere debeant [2]) octo homines pro quolibet quarterio sive contrata
106 A civitatis Tergesti qui sint legitime etatis. // ℭ Et esse debeant et sint custodes nocturni per quatuor menses, [et] habere debeant ipsi custodes pro quolibet ipsorum viginti sold. par. pro eorum salario quatuor mensium. ℭ Et quicunque fuerit custos noctis quatuor menses non possit esse custos noctis aliis quatuor mensibus sequentibus. ℭ Qui vero custodes sic electi iurabunt ad sancta Dei evangelia tactis scripturis bonam facere custodiam, et ad suam custodiam venire prout eis fuerit inpositum et ordinatum per dominium, videlicet quod illi octo qui erunt de uno quarterio facere debeant custodiam omnes insimul una nocte, et sic pro quolibet quarterio, et fatientes custodiam asociare militibus domini potestatis vel alteri ipsorum, quando vadunt temptando civitatem Tergesti de nocte. ℭ Item obedire mandatis dominorum iudicum sive rectorum civitatis Tergesti, et bona fide et diligenter custodire per civitatem Tergesti nocte qua fuerint ad eorum custodias, ne aliquod dampnum sive furtum fieret alicui persone de aliqua re, sub pena satisfatiendi totum dampnum de suis propriis bonis. ℭ Item denuntiare sive acusare omnes quos invenerint ire de nocte post çochos sine lumine per civitatem Tergesti, et tenentes de nocte tabernas apertas, et dantes potum de nocte in tabernis

[1]) *acciperetur*. [2]) Aggiunta marginale.

post çochos alicui persone contra // formam statutorum civi- 106 B
tatis Tergesti; et acusis ipsorum adhibeatur plena fides, et habere debeant tertiam partem condempnationum factarum occasione suarum acusationum. ℭ Item denuntiare et acusare omnes, quos invenerint portare sive portari facere aliquam victualiam sive victualias extra civitatem Tergesti contra formam alicuius statuti, et ipsas victualias accipere portantibus sive portari fatientibus, et dominio Tergesti eas presentare et consignare, et habeant medietatem omnium victualium per ipsos vel aliquem ipsorum sic inventarum vel acceptarum. ℭ Et quod ipsi custodes durante eorum offitio sint et esse debeant exempti ab omni alia custodia noctis civitatis Tergesti, ac etiam custodia ianuarum civitatis de die. ℭ Item asociare militem domini potestatis, quandocunque iret extra civitatem Tergesti pro exequendo aliquod iuditium sententiatum per potestatem Tergesti.

Cap. LXVIIII. De custodibus silvarum et centum ellectione et de eorum officio. R.ca.

Statuimus quod iudices qui fuerint pro tenpore introitu sui regiminis eligant sexdecim custodes silvarum, scilicet quatuor pro contrata, qui custodes sic electi habere debeant de bonis suis fixis valoris ducentarum libr. par. pro [1]) quolibet ipsorum, et aliter esse non possint, et qui non sint suditi alicuius persone, qui custodes electi durent in dicto offitio per quatuor menses. ℭ Et qui- // cunque fuerit electus custos 107 A
silvarum renuntiare non possit, sub pena decem libr. par., et nichilominus sit custos, et quicunque fuerit [2]) custos silvarum quatuor menses, subsequentibus aliis quatuor mensibus esse non possit. ℭ Qui custodes acusare debeant quascunque personas quas inveneri[n]t in ortis vineis canpis pratis silvis venis et farnetis comunis hominum Tergesti, et etiam in vineis canpis pratis hominum civitatis Tergesti positis in vale de Mocho, et etiam in cereto comunis dampnum inferentes contra formam

[1]) *pro-ipsorum* aggiunta marginale. [2]) *fuerit custos* aggiunta marginale.